

ΠΑΝΗΓΥΡΙΣ

Musarum, in festiuitatem nuptiarum Iu-
uenis doctrinâ, virtute & moribus
præstantissimi

**E N O C H I B Ö-
CKELII S P O N S I :**

Et

Lectissima pudicissimæq; virginis

M A R I Æ,

Eximij & prudentissimi Viri

**M A T T H A E I S I G E L S filiæ
Sponsæ:**

Celebratarum Niuemontij, 14. Juny.

Anno 1602.

• 6 (*) 50 •



*M I C H A E L L A N T Z E N B E R G E R
E X C V D E B A T.*



Lectere si nequeam Musas, Helicona mouebo :
Phœbe vocate veni : Calliopea veni.
Omni dum tenebris cœli de parte fugatis,
Eoo nitidus fulget ab orbe dies.
Prospera quò cieant lætum connubia plausum,
Maxima quo tædis gaudia miscet Hymen.
Scandit enim thalamum sponsus virtute celebris :
Quem gaudet fausto Numine Sponsa sequi.
Dextra fidem comitem videt vtraq;: grata sinistram
Pax & sincero cingit amore Charis.
Seu iuga Parnassi sublimia Phœbe frequentas :
Seu te sub sacro res Helicone tenet :
Appropera Musis comitantibus : annue cœptis :
Accensâ castus quæ face traëtet Amor.
Carmine digna tuo sponsi sit tæda:iugalis
Flamma satis Sponsæ carmine digna tuo.
Sed venit ille venit, turbâ comitante Sororum,
Et prior ad Citharam sic sonat ore suam.

A P O L L O.

Qualiter Eois vbi mane resurgit ab vndis,
Obfuscat radijs Lucifer astra suis :
Taliter ingenuâ Sponsus virtute refulget
Inter præstantes dum sedet arte viros.
Omnibus hinc gratus censemur : in omnibus eius

Eminet optato sidere rebus honor.
Hoc Citherea videns, iustâ mercede laborem
Compensat: stimulos admouet intus Amor.
Gratulor ob tantum fœdus, quod soluere nullus,
Spiritus ambobus dum reget ossa, queat.

C A L L I O P E.

Qualiter in pratis specioso lilia surgunt
Aspectu: Virgo taliter ipsa nitet:
Quæ ductu Diuæ thalamum nunc Cypridos intrat:
Et Sponso tantâ gaudia sorte parat.
Gaudia tristiciæ nunquam vincenda: voluptas
In quibus æternos incolat æqua Lares.
Et Charites seruent, felix concordia, lectum:
Pulcraq; mellifluo labra liquore rigent.
Gratulor inceptis: iucundis gratulor ausis,
Perpetui Sponsis opto fauoris opus.

C L I O.

Nubila diffugiant cœlo: rex Æolus antro
Reprimat inclusum terq; quaterq; Notum.
Ne madido flatu lux turbida contristetur:
Fulgentes præfert quæ Citherea faces.
Tota serena fluat: geminentur gaudia talis
Fœderis, in templo quod Deus ipse facit.
Est Sponsus Sponsa dignus: quia digna marito
Tanto pro reliquis tanta puella micat.

Numi-

Numina felices ambos prosperrima reddant,
Numina legitimo non inimica toro.

T H A L I A.

Hinc procul aduerso fugiat Discordia fato.
Nunquam coniugio quæ satis æqua fuit.
Fratres dissoluit: quæ vincula firma feruntur,
Audet Eris varijs dissoluisse modis.
His meliora precor sponso sponsæq; potenti
Quos combinatos robore Numen amet.
Principium felix, medium felicius opto,
Ultima præteritis anteferenda vélím.
Quod precor, eueniat: Iuno castissima votis
Annuit: optatis strenuus adsit Amor.

E V T E R P E.

Si quis vernanti prælustribus eminet æuo,
Nec sinit alterius se grauitate premi.
Fortiter insurgit: nec curat scommata Momis,
Ingenuæ nixus dexteritatis ope:
Huic sua pro meritis restant sua præmia restant,
Hunc ambit magnus, quo recreetur, honos.
Hunc Erycina suis ex altis spectat ocellis,
Monstrans, cui dicat: Tu mihi sola places.
Ipede felici: quæ, Sponsæ, precare, sequatur,
Rideat in gremio Sponsa pudica tuo.

E R A T O.

Quamuis Pasiphaë Minōia regna capessat,
Vel quæ res istis ditior esse queat:

Tolle tamē niueum, quēm iactat virgo, pudorem:
Multum, quo thalamus commaculetur, erit.
Virgo pudica placet: valeat cum diuite cultu
 Virginitatis egens: Virgo pudica placet.
Hoc quoniam memori sub mente Maria reuoluit
 Docta fauoris opus, docta pudoris opus:
Ergo cum iustā mercēdem laude reportat,
 Fœnore quæ multos multiplicanda dies.

P O L Y H Y M N I A.

Serminate Romuleam proprio Catilina per Vrbem
 Fertur præ multis intumuisse viris.
Res tamen illa fuit nullius ponderis: ortum
 Constitit illius calliditate premi.
Ille vir ille mihi melior censetur, honestis
 Quem rebus vitam continuare iuuat.
Talem te genuit Natura, fauentibus astris
 Numine qui thalamum prospere petis.
Gratulor inceptis: tibi commoda compreco: ausis
 Posthac aspiret Pax Requiesq; tuis.

M E L P O M E N E.

Quæ reliquas inter præclarâ stirpe puellas
 Eminet, & morum dexteritate valet:
Hanc sua perpetuò maneant encomia: Sponsus
 Hanc g̃mmis Sponsam præposuisse velit.

Eius

Eius in amplexu requiescat : dulce leuamen
Sentiet : ærumna quo minuentur , erit.
Hinc noua Sponsa bonis quia clara Maria : fidelem
Hinc sibi præ reliquis gaudet adepta virum.
Viuite concordes : vigeat mens vna duobus,
In vestros penetret nulla querela Lares.

T E R P S I C H O R E .

Intueor quoties Sponsum, tunc gratulore ius.
Tædis, & clarâ prospera voce precor.
Nec frustra : varijs animi quia dotibus auctum
Diua verecundo Cypris amore beat.
Hoc dudum petijt, magno cum fœnore sentit;
Commoda, quæ magni muneris instar erunt.
Blandus amor Pylios durabit pace per annos,
Sponsum cum Sponsâ copia diues alet.
Nascatur soboles, veræ pietatis aluminam
Quam Genij foueat sedulitate Deus.

V R A N I E .

Tu quoq; virginei flos illibate pudoris,
Pulcra puella meo carmine digna venis.
Te quia dote beat Citherea, Charisq; benigno
Irradiat vultu : cætera Numen agit :
Numen, quo thalamus stimulanti feruet, amorem
Pectora tergeminio iuncta fauore fouent.

Iungo libens votis decies mea vota Sororum,
Vota minùs flatu disijcienda Noti.

Quod fuit optatum, Sponso Sponsæq; futurum:
Sit sine labore torus, sit sine lite domus.


Hæc chorus Aönidum suggessit carmina: Cypris
Dictauit calamo percipienda meo.

Qualiacunq; tamen, Sponso Sponsæq; probentur:
Sic ictum fausto sidere fœdus erit.

Paulatimq; suum Pax sentiet incrementum:
In tutò maneant cuius amore Lares.

Divite vos cornu sustentet Copia: proles
Æmula sit matris moribus, arte patris,

*Introductarum à M. Ioanne
Richtero.*



G R A-

GRATULATORIA IN SPONSVM ET SPONSA M.

Molliter Oenochoum Ganymeden Iuppiter imo
Includat Charitum detineatq; sinu.
Is quia formosumq; comis roseumq; labellis
Vincere Narcissum fronte genisq; valet.
Et sua (vel præsente Dea Iunone) Tonanti
Auræ mellifluo Nectare pocula replet.
At Diuæ noster Cithereidos ENOCHVS almo
In gremio potius delituisse cupit.
Dulcis ubi requies, ubi dulcis amaracus illi
Idalijs recreet membra decora iugis.
Donec in accenso dominetur pectori flammis,
Quas factum iaculis vulnus Amoris alat.
Tunc, cui Iunonis vel Deiphobea ministres,
Conscendit Sponsi Sponsa MARIA torum.
Viderat hoc dudum scrutata volumina cœli,
Viderat Vranie Mnemosyneq; decus.
Hinc igitur quondam mirantibus RLLA Camænis
Fertur ad HANC verbis talibus vsa DEAM:
Qui nunc in cunis infans iacet, ille futuro
Nymphis BOCKELIVS tempore carus erit.
Nec mirum: siquidem maioribus ortus habetur:
Qui solidæ multum nunc quoq; laudis habent.
Nascentem facili vegetârunt sidera motu:
Ingenium pueri, spes quoq; maior erit.
Mature tendat super alta cacumina Pindi,
Gratus Suadela Pieridumq; choro.

Forma

*Forma decens, mores faciles, voluentibus annis
Aspice quām magni signa fauoris habent?
Occultum Nymphis Amor instillabit amorem,
Optet ut hunc socium multa puella tori.
Vnica præripet duce sub Cithereide palmam:
Quæ tamen huic alijs inuenienda locis.
Scilicet egregio sat a sternitate, candida mores,
Diues & egregij fædere digna viri.
Inueniant bona fat a viam: *Lucina cubili*
Adstet: Pax firmo seruet amore Lares.
In quibus ad seros Fortuna secunda nepotes
Portabit validis commoda multa rotis.
Hec non ex auium disco ventura volatu
Me nihil occulto murmure Saga mouet.
Consulo stellarum ducenti Numine vires:
Vnde suos motus Inferiora petunt.
Dixit, & Vranie, quæ dixerat, omnia iussit
Curâ Mnemosynes inseruisse libris.
En facit euentus verbis iam, Sponsæ, benigno
Diaq, prædictis fidere, Sponsa, fidem.
Gratulor ergo tibi, iuuenis suauissime, plenas
Et casto sponsæ grator amore faces.
Gaude quod talem sis naëta M A R I A maritum,
Quem mea iam verâ laude Camæna ferat.
Si non fatidico pepegit sensisse carmine dudum
Sponsis Vranie Mnemosyneq, melos.
Vix poteram firmis (memini) subsistere plantis,
Ille mihi puero cognitus usq, fuit.
Ambos una simul tencros schola fouit alumnos:
Vnicus in gemino pectore sensus erat.
Grandior hinc etas ubi nos effecit Ephebos,*

Plus

*Plus quam Thesea iungimur ambo fide.
Illa fides remanet. Quoties res seria cessat
Candida vita placet : Suada iocosa placet.
Nec dubium : quin nos interdum dextra deinceps
Hic ad Plisianam iungere fat a queant.
Interē sponsa socii socrusq; voluptas,
Perge peregrino fædus inire loco.
Vade bonis auibus : da basia mille M A R I A,
Vnde tuis veniant basia mille genis.
Iuno faue : genialis Amor fer gaudia tædis :
Euphrolyne cœptis, dulcis Hymenq; faue.
Quod restat , sacris condonent Numinæ tædis,
Numina legitimo non inimica toro.*

Conscripta à

Ioanne Zeidlero Hoffmanno.

NE fortasse putas , Pōc b l i docte , daturum,
Quæ mihi præstiteris , me benefacta Notis.
Vota dabo , cum nil aliud mihi restet egeno,
Et D o m i n v m mundi flectere vota queant.
Ergò S i g b l i a s quando connubia poscis ,
Quam niueam tibi mons de nine dictus alit ;
Imploro coeli , terræ , pelagiique potentem ,
Qui primus sanxit sacra marita , D b v m .
Propitio vestris præstò sit numine cœptis ,
Et mala , coniugio quæ metuenda , leuet ;
Dextera , det , vobis maneat fortuna , nec vnquam
Dite sinat claudi prosperitatis iter :

Et cum

Et cum , vulgaris veluti sententia monstrat,
 Ut sine Sole polus, sit sine prole torus.
Prole M A R I A piâ faciat te, S P O N S E, parentem,
 Quæ lusu geminet gaudia vestra suo ;
Ut sic felices annos peragatis vterq;
 Ad Pylios, fato non remorante, dies.
Hæc precor: his precibus D e u s ô mouearis in alto,
 Qui regis imperijs cuncta creata tuis.

Gratitudinis ac gratulationis ergo

offert , T.

addictissimus ,

*Thomas Liebmannus
Nubisaxeus.*

F I N I S.

